

Alio modo quia non apprehendunt turpitudinem ut possibilem sibi, vel quasi non facilem; & hoc modo lenes, & virtuosius verecundia carent; sunt tamen sic dispositi, ut si in eis esset aliquid turpe, de hoc verecundarentur. Unde Philosophus dicit in IV. Ethic. (cap. ult. ad fin.) quod verecundia est ex suppositione studii.

Ad primum ergo dicendum, quod defectus verecundia contingit in pessimis, & optimis viciis ex diversis causis, ut dictum est (in corp.) Invenitur autem in his qui mediocriter se habent, secundum quod est in eis aliquid de amore boni, & tamen non sunt totaliter immunes a malo.

Ad secundum dicendum, quod ad virtuosum pertinet non solum vitare vicia, sed etiam ea quae habent speciem vitiatorum, secundum illud I. Theudalonica, v. 22. *Ab omni specie mala abstinet viciis*; & Philosophus dicit in IV. Ethic. (cap. ult.) quod vitanda sunt vicia tam ea quae sunt mala secundum veritatem, quam ea quae sunt mala secundum opinionem.

Ad tertium dicendum, quod infamationes, & opprobria virtuosus, ut dictum est (art. 1. huj. quæst. ad 1.) contemnit, quasi ea quibus ipse non est dignus; & ideo etiam nec de his multum verecundatur. Est tamen aliquis motus verecundie preveniens rationem, sicut & cæterarum passionum.

Ad quartum dicendum, quod verecundia non est pars temperantiae, quasi intrinsece essentiam ejus, sed quasi dispositivè se habens ad ipsam: unde Ambrosius dicit in lib. 1. de Offic. (cap. xlii.) quod verecundia jacit prima temperantiae fundamenta, in quantum scilicet incurrit horrorem turpitudinis.

QUÆSTIO CXLV.

De honestate.

in quatuor articulis divisa.

Deinde considerandum est de honestate: & circa hoc queruntur quatuor.

Primo, quomodo honestum se habeat ad virtutem.

Secundo, quomodo se habeat ad decorum.

Tertio, quomodo se habeat ad utile, & delectabile.

Quarto, utrum honestas sit pars temperantiae.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Philosophus dicit in I. Ethic. (cap. vi.) eorum quae propter se appetuntur, quaedam appetuntur solum propter se, & nunquam propter aliud, sicut felicitas, quae est ultimus finis; quaedam vero appetuntur, & propter se, in quantum habent in seipsis aliquam rationem bonitatis, etiam si nihil aliud boni per ea no-

ARTICULUS I.

700

Utrum honestum sit idem virtuti.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod honestum non sit idem virtuti. Dicit enim Tullius in sua Rethor. (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) *honestum esse quod propter se appetitur*. Virtus autem non appetitur propter seipsam, sed propter felicitatem: dicit enim Philosophus in I. Ethic. (cap. ix. à princ.) quod felicitas est premium virtutis. Ergo honestum non est idem virtuti.

2. Præterea. Secundum Iudorum (lib. X. Etymol. ad lit. H.) *honestas dicitur quasi honoris status*. Sed multis aliis debetur honor quam virtuti: nam virtuti proprie debetur laus, ut dicitur in I. Ethic. (cap. xii.) Ergo honestas non est idem virtuti.

3. Præterea. Principale virtutis consistit in interiori electione, ut Philosophus dicit in VIII. Ethic. (cap. xiiii. in fin.) Honestas autem magis videtur ad exteriorem conversationem pertinere, secundum illud I. ad Cor. xiv. 40. *Omnia honeste, & secundum ordinem fiat in vobis*. Ergo honestas non est idem virtuti.

4. Præterea. Honestas videtur consistere in exterioribus divitiis, secundum illud Eccli. xi. 14. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas, à Deo sunt*. Sed in exterioribus divitiis non consistit virtus. Ergo honestas non est idem virtuti.

Sed contra est quod Tullius dicit in I. de Offic. (in tit. de quatuor virtutibus.) & in II. Rethor. (loc. cit. in arg. 1.) dividens honestum in quatuor principales virtutes, in quas etiam dividitur virtus. Ergo honestum est idem virtuti.

Respondeo dicendum, quod, sicut Iudorus dicit (loc. cit. in arg. 2.) *honestas dicitur quasi honoris status*: unde ex hoc videtur aliquid dici honestum, quod est honore dignum.

Honor autem, ut supra dictum est (quæst. præg. art. 2. ad 2.) excellentiæ debetur. Excellentia autem hominis maxime consideratur secundum virtutem, quae est dispositio perfecti ad optimum, ut dicitur in VII. Physic. (text. 17. & 18.) Et ideo honestum, proprie loquendo, in idem refertur cum virtute.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Philosophus dicit in I. Ethic. (cap. vi.) eorum quae propter se appetuntur, quaedam appetuntur solum propter se, & nunquam propter aliud, sicut felicitas, quae est ultimus finis; quaedam vero appetuntur, & propter se, in quantum habent in seipsis aliquam rationem bonitatis, etiam si nihil aliud boni per ea no-

bis accideret, & tamen sunt appetibilia propter aliud, in quantum scilicet perducunt nos in aliquid bonum perfectius: & hoc modo virtutes sunt propter se appetendae. Unde Tullius dicit in II. Rethor. (loc. cit. in arg.) quod quidam est quod sua vi nos allicit, & sua dignitate trahit, ut virtus, veritas, scientia. Et hoc sufficit ad rationem honesti.

Ad secundum dicendum, quod eorum quae honorantur propter virtutem, aliquid est virtute excellentius, scilicet Deus, & beatitudo; & huiusmodi non sunt ita nobis per experientiam nota, sicut virtutes, secundum quas quotidie operamur. Et ideo virtus magis sibi vendicat nomen honesti. Alia vero quae sunt infra virtutem, honorantur, in quantum coadiuvant ad opera virtutis, sicut nobilitas, potentia, & divitiæ. Ut enim Philosophus dicit in IV. Ethic. (cap. iiii. ante med.) *huiusmodi honorantur à quibusdam; sed secundum veritatem solus bonus est honorandus*. Bonus autem est aliquis secundum virtutem. Et ideo virtuti quidem debetur laus, secundum quod est appetibilis propter aliud; honor autem, prout est appetibilis propter seipsam: & secundum hoc habet rationem honesti.

Ad tertium dicendum, quod, sicut dicitur est (in corp. art.) honestum importat debitum honoris. Honor autem est contestatio quaedam de excellentia alicuius, ut supra dictum est (quæst. ciiii. art. 1. & 2.) Testimonium autem non profertur nisi de rebus notis. Interior autem electio non innotescit homini nisi per exteriores actus. Et ideo exterior contestatio habet rationem honesti, secundum quod est demonstrativa interioris rectitudinis. Et propter hoc radicaliter honestas consistit in interiori electione, significative autem in exteriori conversatione.

Ad quartum dicendum, quod quia secundum vulgarem opinionem excellentia divitiarum facit hominem dignum honore, inde est quod quandoque nomen honestatis ad exteriorem prosperitatem transfertur.

ARTICULUS II.

701

Utrum honestum sit idem quod decorum.

Inf. art. 4. corp.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod honestum non sit idem quod decorum. Ratio enim honesti sumitur ex appetitu: nam honestum est quod per se appetitur. Sed decorum magis respicit conspectum, cui placet. Ergo decorum non est idem quod honestum.

2. Præterea. Decor quaedam claritatem requirit, quae pertinet ad rationem gloriæ; honestum autem respicit honorem. Cum ergo ho-

nor, & gloria differant, ut supra dictum est (quæst. ciiii. art. 1. ad 3.) videtur quod etiam honestum differat à decoro.

3. Præterea. Honestum est idem virtuti, ut supra dictum est (art. præc.) Sed aliquis decor contrariatur virtuti: unde dicitur Eccli. xvi. 15. *Habens fiduciam in pulchritudine sua fornicata est in nomine tuo*. Ergo honestum non est idem decoro.

Sed contra est quod Apostolus dicit in I. ad Corint. xii. 23. *Quae inhonesta sunt nostrae, abundantiorum honestatem habent; honesta autem nostrae nullius egent*. Vocat autem ibi inhonesta membra turpia, honesta autem membra pulchra. Ergo honestum, & decorum idem esse videntur.

Respondeo dicendum, quod, sicut accipi potest ex verbis Dionysii cap. iv. de Div. Nomin. (part. 1. lect. 5. & 6.) ad rationem pulchri, sive decori concurret, & claritas, & debita proportio. Dicit enim, quod Deus dicitur pulcher, sicut universorum consonantia, & claritatis causa. Unde pulchritudo corporis in hoc consistit quod homo habeat membra corporis bene proportionata cum quadam debiti coloris claritate. Et similiter pulchritudo spiritualis in hoc consistit quod conversatio hominis, sive actio eius sit bene proportionata secundum spirituales rationis claritatem.

Hoc autem pertinet ad rationem honesti, quod diximus (art. præc.) idem esse virtuti, quae secundum rationem moderatur omnes res humanas. Et ideo honestum est idem spirituali decori. Unde Augustinus dicit in lib. lxxxiii. Qq. (quæst. xxx. parum à princ.) *Honestum voco intelligibilem pulchritudinem, quam spiritualem nos proprie dicimus; & postea subdit, quod multa sunt pulchra visibilia, quae minus proprie honesta appellantur*.

Ad primum ergo dicendum, quod obiectum movens appetitum est bonum apprehensum: quod autem in ipsa apprehensione apparet decorum, accipitur ut conveniens, & bonum. Et ideo dicit Dionysius iv. cap. de Div. Nom. (part. 1. lect. 5. & part. 111. lect. 14.) quod omnibus est pulchrum, & bonum amabile. Unde & ipsum honestum, secundum quod habet spirituales decorem, appetibile redditur, unde & Tullius dicit in I. de Offic. (immediate ante tit. de 4. virt. in princ.) *Formam ipsam, & tamquam faciem honesti vides, quae si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret sapientie*.

Ad secundum dicendum, quod, sicut supra dictum est (quæst. ciiii. art. 1. ad 3.) gloria est effectus honoris. Ex hoc enim quod aliquis honoratur, vel laudatur, redditur clarus in oculis aliorum. Et ideo sicut idem est honorificum, & gloriosum; ita etiam idem est honestum, & decorum.

Ad tertium dicendum, quod obiectio illa procedit de pulchritudine corporali: quamvis possit dici, quod etiam propter pulchritudinem spirituales aliqui spiritualiter fornicantur, inquam de ipsa honestate superbit, secundum illud Ezech. xxviii. 17. *Elevatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.*

ARTICULUS III. 702

Utrum honestum differat ab utile, & delectabili.

I. P. quæst. v. art. 6.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod honestum non differat ab utili, & delectabili. Dicitur enim honestum quod propter se appetitur. Sed delectatio propter se appetitur: *ridiculum enim videtur querere, propter quid aliis vult delectari*, ut Philosophus dicit in X. Ethic. (cap. 11. parum à princ.) Ergo honestum non differat à delectabili.

2. Præterea. Divitiæ sub bono utili continentur: dicit enim Tullius in II. Rhet. (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) *Est aliquid non propter suam vim, & naturam, sed propter fructum, & utilitatem appetendum, quod pecunia est.* Sed divitiæ habent rationem honestitatis: dicitur enim Eccl. xi. 14. *Paupertas, & honestas, id est divitiæ, à Deo sunt: & xlii. cap. 2. Pondus super se tollit qui honestior, id est ditior, se communit.* Ergo honestum non differat ab utili.

3. Præterea. Tullius probat in lib. II. de Offic. (tit. 2. de Utilit.) quod nihil potest esse utile quod non sit honestum: & hoc idem habetur per Ambrosium in lib. II. de Offic. (cap. vi.) Ergo utile non differat ab honesto.

Sed contra est quod Augustinus dicit in lib. LXXXI. Q. q. (quæst. xxx. circ. princ.) *Honestum dicitur quod propter se ipsum appetendum est; utile autem quod ad aliquid aliud referendum est.*

Respondeo dicendum, quod honestum concurrat in idem subiectum cum utili, & delectabili, à quibus tamen differat ratione.

Dicitur enim aliquid honestum, sicut dicitur est (art. præc.) in quantum habet quandam decorem ex ordinatione rationis. Hoc autem quod est secundum rationem ordinatum, est naturaliter conveniens homini. Unumquodque autem naturaliter delectatur in suo conveniente. Et ideo honestum est naturaliter homini delectabile; sicut de operatione virtutis Philosophus probat in I. Ethic. (cap. viii.) Non tamen omne delectabile est honestum: quia potest etiam aliquid conveniens esse secundum sensum, & non secundum rationem. Sed hoc

delectabile est præter hominis rationem, quia perficit naturam ipsius. Ipsa etiam virtus, quæ secundum se honesta est, refertur ad aliud sicut ad finem, scilicet ad felicitatem. Et secundum hoc idem subiecto est honestum, & utile, & delectabile. Sed ratione differunt: nam honestum dicitur, secundum quod aliquid habet quandam excellentiam dignam honore propter spirituales pulchritudinem; delectabile autem, in quantum quietat appetitum: utile autem, in quantum refertur ad aliud. In plus tamen est delectabile quam utile; & honestum: quia omne utile, & honestum est aliquoties delectabile, sed non convertitur, ut dicitur in II. Ethic. (cap. 11. à med.)

Ad primum ergo dicendum, quod honestum dicitur quod propter se appetitur appetitu rationali, qui tendit in id quod est conveniens rationi. Delectabile autem propter se appetitur appetitu sensitivo.

Ad secundum dicendum, quod divitiæ vocantur nomine honestitatis secundum opinionem multorum, qui divitiis honorant; vel in quantum ordinantur organicæ ad actus virtutum, ut dictum est (art. 1. huj. quæst. ad 2.)

Ad tertium dicendum, quod intentio Tullii, & Ambrosii est dicere, quod nihil potest esse simpliciter, & vere utile, quod repugnat honestati: quia oportet quod repugnet ultimo fini hominis, quod est bonum secundum rationem: quamvis possit forte esse utile secundum quid respectu alicujus finis particularis. Non autem intendunt dicere, quod omne utile in se consideratum pertingat ad rationem honesti.

ARTICULUS IV. 703

Utrum honestas, debeat poni pars temperantia.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod honestas non debeat poni pars temperantia. Non enim est possibile quod idem respectu ejusdem sit pars, & totum: Sed temperantia est pars honestitatis, ut Tullius dicit in II. Rhetor. (lib. II. de Invent. aliquant. ante fin.) Ergo honestas non est pars temperantia.

2. Præterea. Elia III. cap. 11. dicitur, quod *vinum omnia præcordia facit honesta.* Sed usus vini, præcipue superfluus, de quo ibi loqui videtur, magis pertinet ad intemperantiam quam ad temperantiam. Ergo honestas non est pars temperantia.

3. Præterea. Honestum dicitur quod est honore dignum. Sed *justi & fortes maxime honorantur*, ut dicit Philosophus in I. Rhetor. (cap. ix. à princ.) Ergo honestas non pertinet ad temperantiam, sed magis ad justitiam, & fortitudinem: unde & Eleazarus dixit, ut dicitur II. Machab. vi. 28. *Fortiter*

pro gravissimis, ac sanctissimi legibus honesta morte perugar.

Sed contra est quod Macrobius (lib. I. in Somn. Scip. cap. viii.) honestatem ponit partem temperantia: Ambrosius etiam in I. de Offic. (cap. xliii.) temperantiæ specialiter honestatem attribuit.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 2. huj. quæst.) honestas est quedam spiritualis pulchritudo. Pulchro autem opponitur turpe. Opposita autem maxime se invicem manifestant. Et ideo ad temperantiam specialiter honestas pertinet videtur, quæ id quod est homini turpissimum, & indecentissimum, repellit, scilicet brutales voluptates. Unde & in ipso nomine temperantiæ maxime intelligitur bonum rationis, cujus est moderari, & temperare concupiscentias pravas. Sic ergo honestas, prout speciali quadam ratione temperantiæ attribuitur, ponitur pars ejus, non quidem subiectiva, vel sicut virtus adjuncta, sed pars integralis ipsius, sicut quedam ejus conditio.

Ad primum ergo dicendum, quod temperantia ponitur pars subiectiva honesti, prout sumitur in sua communitate: sic autem non ponitur temperantia pars.

Ad secundum dicendum, quod vinum in ebriis facit præcordia honesta secundum eorum reputationem, quia videtur eis quod sint magni, & honorandi.

Ad tertium dicendum, quod justitiæ, & fortitudini debetur major honor quam temperantiæ, propter majoris boni excellentiam; sed temperantiæ debetur major honor propter prohibitionem vitiorum magis exprobrabilium, ut ex dictis patet (in corp. art.) Et sic honestas magis attribuitur temperantiæ secundum regulam Apostoli I. ad Corinth. xii. 23. quod *inhonestas majorem habent honestatem*, scilicet removemtem quod inhonestum est.

QUÆSTIO CXLVI.

De abstinentia.

in duos articulos divisa.

Deinde considerandum est de partibus subiectivis temperantiæ: & primo de his quæ sunt circa delectationes ciborum; secundo de his quæ sunt circa delectationes venereorum.

Circa primum considerandum est de abstinentia, quæ est circa cibos, & potus; & de sobrietate, quæ est specialiter circa potum.

Circa abstinentiam autem consideranda sunt tria. Primo de ipsa abstinentia. Secundo de actu ejus, qui est jejunium. Tertio de opposito vitio, quod est gula.

Circa abstinentiam autem quaruntur duo.

Primo, utrum abstinentia sit virtus. Secundo, utrum sit virtus specialis.

ARTICULUS I. 704

Utrum abstinentia sit virtus.

Sup. quæst. CXLII.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod abstinentia non sit virtus. Dicit enim Apostolus I. ad Corinth. iv. 20. *Non est regnum Dei in sermone, sed in virtute.* In abstinentia autem non consistit regnum Dei: dicit enim Apostolus ad Rom. xiv. 17. *Non est regnum Dei esca, & potus: ubi dicit Glossa (Augustini lib. II. Q. q. Evang. quæst. xi. ante med.), nec in abstinentia, nec in manducando esse justitiam.* Ergo abstinentia non est virtus.

2. Præterea. Augustinus dicit in X. Confess. (cap. xxxi. à princ.) ad Deum loquens: *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumerem accedam.* Sed medicamenta moderari non pertinet ad virtutem, sed ad artem medicinæ. Ergo pari ratione moderari alimenta, quod pertinet ad abstinentiam, non est actus virtutis, sed artis.

3. Præterea. Omnis virtus in medio consistit, ut habetur in II. Ethic. (cap. vi. & vii.) Abstinentia autem non videtur in medio consistere, sed in defectu, cum ex subtractione nominetur. Ergo abstinentia non est virtus.

4. Præterea. Nulla virtus excludit aliam. Sed abstinentia excludit patientiam: dicit enim Gregorius in Pastor. (part. 111. cap. xx. parum ante med.) quod *abstinentium mentes plerumque impatientia excutit à suis tranquillitatibus: ibidem etiam dicit, quod cogitationes abstinentium nonnunquam superbia culpa transfigit: & ita excludit humilitatem.* Ergo abstinentia non est virtus.

Sed contra est quod dicitur II. Petr. 1. 5. *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam: ubi abstinentia aliis virtutibus connumeratur.* Ergo abstinentia est virtus.

Respondeo dicendum, quod abstinentia ex suo nomine importat subtractionem ciborum. Dupliciter ergo nomen abstinentiæ accipi potest. Uno modo secundum quod absolute ciborum subtractionem designat: & hoc modo abstinentia non designat neque virtutem, neque actum virtutis, sed quoddam indifferens. Alio modo potest accipi, secundum quod est ratione regulata: & tunc significat, vel habitum virtutis, vel actum.

Et

Et hoc significatur in præmissa auctoritate Petri, ubi dicitur, in scientia esse abstinentiam ministrandam, ut scilicet homo à cibis abstinereat, prout oportet pro congruentia hominum cum quibus vivit, & personæ suæ, & pro valetudinis suæ necessitate.

Ad primum ergo dicendum, quod usus ciborum, & eorum abstinentia, secundum se considerata, non pertinent ad regnum Dei; dicit enim Apostolus I. ad Corinth. VII. 8. *Esca- nis non commendat Deo: neque enim si non manducaverimus, deficiemus; neque si manducaverimus, abundabimus*, scilicet spiritualiter. Utrumque autem eorum, secundum quod fit rationabiliter ex fide, & dilectione Dei, pertinet ad regnum Dei.

Ad secundum dicendum, quod moderatio ciborum secundum quantitatem, & qualitatem, pertinet ad artem medicinæ in comparatione ad valetudinem corporis; sed secundum interiores affectiones in comparatione ad bonum rationis pertinet ad abstinentiam. Unde Augustinus dicit in lib. II. de Q. q. Evang. (quest. XI. ante med.) *Non interest omnino, scilicet ad virtutem, quid alimentorum, vel quantum quis accipiat, dummodo id faciat pro congruentia bonum cum quibus vivit, & persona sua, & pro valetudinis suæ necessitate; sed quanta facilitate, (a) & serenitate animi hi carereat, cum oportet, vel necesse est carere.*

Ad tertium dicendum, quod ad temperantiam, pertinet refrenare delectationes, quæ nimis animum ad se alliciunt, sicut ad fortitudinem pertinet firmare animum contra timores à bono rationis consistit in quodam excessu, & ex hoc denominantur omnes partes fortitudinis; ita etiam laus temperantiæ consistit in quodam defectu, & ex hoc ipsa, & omnes partes eius denominantur. Unde & abstinentia, quia est pars temperantiæ, denominatur à defectu; & tamen consistit in medio, in quantum est secundum rationem rectam.

Ad quartum dicendum, quod illa vitia proveniunt ex abstinentia, prout non est secundum rationem rectam. Ratio enim recta facit abstinere sicut oportet, scilicet cum hilaritate mentis, & propter quod oportet, scilicet propter gloriam Dei, non propter gloriam suam.

(a) Ita cum mss. Nicolajus, & edit. eo posteriori. Al. severitate.

ARTICULUS II.

Utrum abstinentia sit specialis virtus.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod abstinentia non sit specialis virtus. Omnis enim virtus secundum se ipsam est laudabilis. Sed abstinentia non est secundum se laudabilis; dicit enim Gregorius in Pastoc. (part. III. cap. XX. à med.) quod virtus abstinentiæ non nisi ex aliis virtutibus commendatur. Ergo abstinentia non est specialis virtus.

2. Præterea. Augustinus (Fulgentius) dicit de fide ad Petrum (cap. XLII.) quod abstinentia sanctorum est à cibo, & potu, non quia aliqua creatura Dei sit mala, sed pro sola corporis castigatione. Hoc autem per se ad castitatem; ut ex ipso nomine apparet. Ergo abstinentia non est virtus specialis à castitate distincta.

3. Præterea. Sicut homo debet esse contentus moderato cibo, ita & moderata veste, secundum illud I. Timoth. ult. 8. *Habentes alimentis, & quibus tegamur, his contenti simus*. In moderatione autem vestium non est aliqua specialis virtus. Ergo neque abstinentia, quæ est moderativa alimentorum.

Sed contra est quod Macrobius (lib. I. in Somn. Scip. cap. VII.) ponit abstinentiam specialem partem temperantiæ.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (quest. CXXXVI. art. 1. & quest. CXL. art. 3.) virtus moralis conservat bonum rationis contra impetus passionum: & ideo ubi invenitur specialis ratio qua passio abstrahit à bono rationis, ibi necesse est esse specialem virtutem. Delectationes autem ciborum natæ sunt abstrahere hominem à bono rationis, tum propter earum magnitudinem, tum etiam propter necessitatem ciborum, quibus homo indiget ad vitæ conservationem, quam maxime homo desiderat. Et ideo abstinentia est specialis virtus.

Ad primum ergo dicendum, quod virtutes oportet esse connexas, ut supra dictum est (1. 2. q. LXV. art. 1.) Et ideo una virtus adjuvatur, & commendatur ex alia, sicut iustitia ex fortitudine. Et per hunc etiam modum virtus abstinentiæ commendatur ex aliis virtutibus.

Ad secundum dicendum, quod per abstinentiam corpus castigatur, non solum contra illecebras luxuriæ; sed etiam contra illecebras gula: quia dum homo abstinere, magis redditur fortis ad impugnationes gula vincendas, quæ tanto fortiores sunt, quanto magis homo eis cedit. Et tamen non prohibetur per hoc abstinentiam esse specialem virtutem, quod ad castitatem valet, quia una virtus ad aliam juvat.

Ad

Ad tertium dicendum, quod usus vestimentorum est introductus ab arte, usus autem ciborum à natura: & ideo magis debet esse virtus specialis circa moderationem ciborum, quam circa moderationem vestimentorum.

QUÆSTIO CXLVII.

De jejuniis, multa dicitur in octo articulis divisim.

Deinde considerandum est de jejuniis: & circa hoc quaruntur octo.

Primo, utrum jejuniis sit actus virtutis.

Secundo, cuius virtutis sit actus.

Tertio, utrum cadat sub præcepto.

Quarto, utrum aliqui excusentur ab observatione hujus præcepti.

Quinto, de tempore jejunii.

Sexto, utrum semel comedere requiratur ad jejuniis.

Septimo, de hora comestitionis jejuniarum.

Octavo, de cibis à quibus debent abstinere.

ARTICULUS I.

Utrum jejuniis sit actus virtutis.

Sup. quest. CXLVI. art. 1. & IV. dist. XV. quest. 111. art. 1. & quest. 2.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod jejuniis non sit actus virtutis. Omnis enim actus virtutis Deo est acceptus. Sed jejuniis non semper est Deo acceptum, secundum illud I. Petri II. 2. *Quare jejunavimus, & non aspexisti?* Ergo jejuniis non est actus virtutis.

2. Præterea. Nullus actus virtutis recedit à medio virtutis. Sed jejuniis recedit à medio virtutis: quod quidem in virtute abstinentiæ accipitur secundum hoc ut subveniatur necessitati nature, cui per jejuniis aliquid subtrahitur: alioquin non jejunantes non haberent virtutem abstinentiæ. Ergo jejuniis non est actus virtutis.

3. Præterea. Id quod communiter omnibus convenit, & bonis, & malis, non est actus virtutis. Sed jejuniis est hujusmodi: quilibet enim, antequam comedat, jejunus est. Ergo jejuniis non est actus virtutis.

Sed contra est quod connumeratur aliis virtutum actibus II. ad Corinth. VI. 5, ubi Apostolus dicit: *In jejuniis, scientia, & in castitate, &c.*

Respondeo dicendum, quod ex hoc aliquis actus est virtuosus quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum. Hoc

autem convenit jejuniis: assumitur enim jejuniis principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas: Unde Apostolus dicit in auctoritate inducta: *In jejuniis, in castitate: quia per jejunia castitas conservatur*. Ut enim Hieronymus dicit (Lib. II. cont. Jovin. cap. VI. in fin.) *Inter Cereres, & Baccho frigit Venus*, id est per abstinentiam cibi, & potus tepescit luxuria. Secundo assumitur ad hoc quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda: unde dicitur Dan. X. quod post jejuniis trium hebdomadarum revelationem accepit à Deo. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis: unde dicitur Joel. II. 12. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejuniis, in fletu, & planctu.*

Et hoc est quod Augustinus dicit in quodam sermone de oratione, & jejuniis (CCXXX. de temp.) *Jejuniis purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subicit, cor facit contritum, & humilitatum, concupiscentias nebulas dispergit, libidinum ardorem extinguit, castitatis verum lumen accendit*. Unde patet quod jejuniis est actus virtutis.

Ad primum ergo dicendum, quod contingit quod aliquis actus qui ex genere suo est virtuosus, ex aliquibus circumstantiis adjunctis reddatur vitiosus: unde ibidem dicitur: *Eccc in diebus jejunii vestri invocatur voluntas vestra, & paulo post subditur: Ad literas, & contentiones jejuniis, & percussit pugnis impie*. Quod exponens Gregorius in Pastoc. (part. III. cap. XX. à med.) dicit: *Voluntas ad lætitudinem, pertinet, pugnas ad iram*. Incausum ergo per abstinentiam corporis atteritur, si inordinatis motibus dimissa mens vitiosis desideriis, paratur. Et Augustinus in prædicto sermone dicit, quod jejuniis verborum non amat, divitias superfluitatem judicat, superbiam spernit, humilitatem commendat, præstat homini seipsum intelligere quod est infirmum, & fragile.

Ad secundum dicendum, quod medium virtutis non accipitur secundum quantitatem, sed secundum rationem rectam; ut dicitur in II. Ethic. (cap. VI.) Ratio autem judicat quod propter aliquam specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo quam sibi competeret secundum statum communem; si enim propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua opera corporalia expeditius agenda. Et multo magis ratio recta hoc ordinat ad spiritualia mala vitanda, & bona proficienda. Non tamen ratio recta tantum de cibo subtrahit, ut natura conservari non possit; quia, ut Hieronymus dicit (hab. cap. Non immediatiter de consecrationibus dist. VI.) non differt utrum magno, vel parvo tempore se interimas: quia de rapina holocaustum offerre qui vel ciborum nimia excessitate, vel nimia

V

ducandi, vel somni penuria immoderate corpus affligit. Similiter etiam ratio recta non tantum de cibo subtrahit ut homo reddatur impotens ad debita opera paragenda: unde dicit Hieronymus (loc. cit.) quod rationalis homo dignitatem amittit, qui vel jejunium caritati, vel vigiliis sensus integritati præferat.

Ad tertium dicendum, quod jejunium naturæ, quo quis dicitur jejunus, antequam comedat, consistit in pura negatione, unde non potest poni actus virtutis; sed solum illud jejunium quo quis ex rationabili proposito à cibis aequaliter abstinere. Unde primum dicitur jejunium jejunii; secundum vero jejunium jejunantis, quasi ex proposito aliquid agentis.

ARTICULUS II. 706

Utrum jejunium sit actus abstinentiæ.

IV. dist. xv. quest. 111. art. 1. quest. 3. per tot. & quest. 5. ad 2. & quest. 111. art. 12. ad 3.

Ad secundum sic proceditur. Videtur quod jejunium non sit actus abstinentiæ. Quia super illud Matth. xvii. Hoc genus demoniorum &c. dicit Glossa (ord. Bede Lib. III. comment. cap. vii. in fin.), jejunium non solum est ab eis, sed à cunctis illecebris abstinere. Sed hoc pertinet ad omnem virtutem. Ergo jejunium non est actus specialiter abstinentiæ.

2. Præterea Gregorius dicit homil. Quadrag. (xvi. in Evang. à med.) quod jejunium quadragesimale est decima totius anni. Sed dare decimas est actus religionis, ut supra habitum est (quest. lxxxviii. art. 1.). Ergo jejunium est actus religionis, & non abstinentiæ.

3. Præterea Abstinentia est pars temperantiæ, ut dictum est (quest. præc. & quest. cxlii.). Temperantia autem contra fortitudinem dividitur, ad quam pertinet molestias sustinere: quod maxime videtur esse in jejuniis. Ergo jejunium non est actus abstinentiæ.

Sed contra est quod Isidorus dicit (Lib. VI. Etymol. cap. xviii. ad fin.) quod jejunium est parsimonia vitæ, abstinentiæque ciborum.

Respondeo dicendum, quod eadem est materia habitus, & actus. Unde omnis actus virtuosus qui est circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet que medium in illa materia constituit. Jejunium autem attenditur in cibis, in quibus medium advenit abstinentiæ. Unde manifestum est quod jejunium est abstinentiæ actus.

Ad primum ergo dicendum, quod jejunium proprie dictum consistit in abstinendo à cibis; sed metaphorice dictum consistit in

abstinendo à quibuslibet nocivis, que maxime sunt peccata.

Vel potest dici, quod etiam jejunium proprie dictum est abstinentia ab omnibus illecebris: quia per quælibet vitia adjuncta definit esse actus virtuosus, ut dictum est (art. præc. ad 1.).

Ad secundum dicendum, quod nihil prohibet actum unius virtutis pertinere ad aliam virtutem, secundum quod ad eum finem ordinatur, ut ex supradictis patet (quest. præc. art. 2. ad 2. & 1. 2. quest. xviii. art. 7.). Et secundum hoc nihil prohibet jejunium pertinere ad religionem, vel ad castitatem, vel ad quamcumque aliam virtutem.

Ad tertium dicendum, quod ad fortitudinem, secundum quod est specialis virtus, non pertinet perferre quacumque molestias, sed solum illas que sunt circa pericula mortis. Sufferre autem molestias que sunt ex defectu delectabilitatis, tactus; pertinet ad temperantiam, & ad partem ejus: & tales sunt molestias jejunii.

ARTICULUS III. 708

Utrum jejunium sit in precepto.

IV. dist. xv. quest. 111. art. 1. quest. 4. & quest. 5. ad 2. & art. 2. quest. 1.

Ad tertium sic proceditur. Videtur quod jejunium non sit in precepto. Præcepta enim non dantur de operibus supererogationum, que cadunt sub consilio. Sed jejunium est opus supererogationis: alioquin ubique, & semper æqualiter esset observandum. Ergo jejunium non cadit sub precepto.

2. Præterea Quicumque transgreditur præceptum, peccat mortaliter. Si ergo jejunium esset in precepto, omnes non jejunantes mortaliter peccarent: per quod videtur magnus laqueus hominibus esse injectus.

3. Præterea Augustinus dicit in Lib. de vera religione (cap. xvii. parum ante med.) quod ab ipsa Dei sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca sacramenta saluberrima constituta sunt, que societatem christiani populi, hoc est, sub uno Deo libera multitudinis, continent. Sed non minus videtur libertas populi christiani impediri per multitudinem oblationum, quam per multitudinem sacramentorum: dicit enim Augustinus in Lib. ad inquisitiones Januarii (epist. lv. al. cxix. cap. xix. circ. fin.) quod quidam ipsam religionem vident, quam manifestissimè, & paucissimè celebrationum sacramenti Dei misericordia voluit esse liberam, servilibus prestant oneribus. Ergo videtur quod non debuit per Ecclesiam jejunium sub precepto institui.

Sed

Sed contra est quod Hieronymus ad Lucinum (epist. xxvi. circ. fin.) dicit de jejuniis loquens: Unaqueque provincia abundat in suo sensu, & præcepta majorum leges apostolicas ambiretur. Ergo jejunium est in precepto.

Respondeo dicendum, quod sicut ad sæculares Principes pertinet præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his que pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus; ita etiam ad Prælatos ecclesiasticos pertinet ea statuti præcipere que ad utilitatem communem fidelium pertinent in spiritualibus bonis.

Dictum est autem (art. 1. hujus quest.) quod jejunium utile est ad delectionem, & cohibitionem culpæ, & ad elevationem mentis in spiritualia. Unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad prædicta. Et ideo jejunium in communi cadit sub precepto legis nature; sed determinatio temporis, & modi jejunandi secundum convenientiam, & utilitatem populi christiani, cadit sub precepto juris positivi, quod est à prælati Ecclesiæ institutum: & hoc est jejunium Ecclesiæ; aliud vero est naturæ.

Ad primum ergo dicendum, quod jejunium secundum legem consideratum non nominat aliquid eligibile, sed penale quoddam. Reddatur autem eligibile, secundum quod est utile ad finem aliquem. Et ideo absolute consideratum non est de necessitate præcepti; sed est de necessitate præcepti uniuscuique tali remedio indigenti. Et quia multitudo hominum ut plurimum indiget tali remedio, tum quia in multis omnes offendimus, ut dicitur Jacob. ii. tum etiam quia caro concupiscit adversus spiritum, ut dicitur ad Galat. v. 17. conveniens fuit ut Ecclesia aliqua jejunia statueret ab orationibus communiter observanda, non quasi præcepto subjiciens id quod simpliciter ad supererogationem pertinet, sed quasi in speciali determinas id quod est necessarium in communi.

Ad secundum dicendum, quod præcepta que per modum communis statuti proponuntur, non eodem modo obligant omnes; sed secundum quod requiritur ad finem quem legislator intendit: cujus auctoritatem si aliquis transgrediendo statutum contemnat, vel hoc modo transgrediat quod impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor; si autem ex aliqua rationabili causa quis statutum non servet, præcipue in casu in quo etiam legislator adesset, non decerneret esse servandum, talis transgressio non constituit peccatum mortale. Et inde est quod non omnes qui non servant je-

8. Tb. Op. Tom. IV.

(a) Vulgata: Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare?

junia Ecclesiæ, peccant mortaliter.

Ad tertium dicendum, quod Augustinus sibi loquitur de his que neque sacrarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Concilio Episcoporum statuta inventiuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt. Jejunia vero que sunt in precepto, sunt in Concilio Episcoporum statuta, & consuetudine universalis Ecclesiæ roborata. Nec sunt contra libertatem populi fidelis; sed magis sunt utilis ad impediendum servitutem peccati, que repugnat libertati spirituali, de qua dicitur ad Galat. v. 13. Vos enim fratres in libertatem vocati estis, tantum ne libertatem deis in occasionem carnis.

ARTICULUS IV. 709

Utrum omnes ad jejunia Ecclesiæ teneantur.

Inf. art. 7. ad 3. & IV. dist. xv. quest. 111. art. 2. quest. 1. 2. 3. & 4.

Ad quartum sic proceditur. Videtur quod omnes ad jejunia Ecclesiæ teneantur. Præcepta enim Ecclesiæ obligant, sicut Dei præcepta, secundum illud Luc. x. 16. Qui vos audit, me audit. Sed ad præcepta Dei servanda omnes tenentur. Ergo & similiter omnes tenentur ad servanda jejunia que sunt ab Ecclesia instituta.

2. Præterea Maxime videtur excusari pueri à jejuniis propter ætatem. Sed pueri non excusantur: dicitur enim Joel. ii. 15. Sanctificate jejunium: & postea: Congregate parvulos, & sugentes ubera. Ergo multo magis omnes alii ad jejunia tenentur.

3. Præterea Spiritualia sunt temporalibus præferenda, & necessaria non necessariis. Sed opera corporalia ordinantur ad lucrum temporale: peregrinatio etiam, etsi spiritualia ordinetur, non est necessitatis. Cum ergo jejunium ordinetur ad spirituale utilitatem, & necessitatem habeat ex statuto Ecclesiæ, videtur quod non sint jejunia Ecclesiæ prætermittenda propter peregrinationem, vel propter corporalia opera.

4. Præterea Magis est aliquid faciendum ex propria voluntate quam ex necessitate: ut patet per Apostolum II. ad Corinth. ix. Sed pauperes solent ex necessitate jejunare propter defectum alimentorum. Ergo multo magis debent ex propria voluntate jejunare.

5. Sed contra videtur quod nullus justus teneatur jejunare. Præcepta enim Ecclesiæ non obligant contra doctrinam Christi. Sed Dominus dixit Luc. v. 4. quod (a) non possunt filii sponsi jeju-

V 2

155

nare, quamdiu cum ipse est sponsus: est autem cum omnibus iustis spiritualiter eos inhabitans: unde Dominus dicit Math. ult. 20. *Eccc ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Ergo iusti ex statuto Ecclesie non obligantur ad jejunandum.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (1. 2. quest. xc. art. 2. & quest. xcvi. art. 2. & 6.) statuta communia proponuntur, secundum quod multitudini conveniunt. Et ideo legislator in eis statuendis attendit id quod communiter habetur, & in pluribus accidit. Si quid autem (a) ex speciali causa in aliquo invenitur, quod observantie statuti repugnet, non intendit talem legislator ad statuti observantiam obligare. In quo tamen est discretio adhibenda. Nam si causa sit evidens, per se ipsum licite potest homo statuti observantiam præterire, præsertim consuetudine interveniente, vel si non possit de facili recursum ad superiorem haberi. Si vero causa sit dubia, debet aliquis ad superiorem recurrere, qui habet potestatem in talibus dispensandi. Et hoc observandum est (b) in jejuniis ab Ecclesia institutis, ad quæ omnes communiter obligantur, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum.

Ad primum ergo dicendum, quod præcepta Dei sunt præcepta juris naturalis, quæ secundum se sunt de necessitate salutis. Sed statuta Ecclesie sunt de his quæ non per se sunt de necessitate salutis, sed solum ex institutione Ecclesie. Et ideo possunt esse aliqua impedimenta, propter quæ aliqui ad observantiam statuti hujusmodi non tenentur.

Ad secundum dicendum, quod in pueris maxime est evidens causa non jejunandi: tum propter debilitatem naturæ, ex qua provent quod indigent frequenti cibo, & non multo simul assumpto; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti. Et ideo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est ut in pluribus usque ad finem tertii septennii, non tenentur ad ecclesiasticam jejunia observanda. Conveniens tamen est ut etiam in hoc tempore se ad jejunandum exerceant, plus vel minus secum modum suæ ætatis. Quandoque tamen magna tribulatio imminente, in signum poenitentia arctioris etiam pueris jejunia inducuntur; sicut etiam de jumentis legitur Jonæ III. 7. *Homines, & jumenta non gustent quidquam, nec aquam bibant.*

Ad tertium dicendum, quod circa peregrinos, & operarios distinguendum videtur. Quia si peregrinatio, & operis labor commode differri possit, aut diminui absque detrimento corporalis salutis, & exterioris sta-

tus, qui requiritur ad conservationem corporalis, vel spiritualis vite, non sunt propter hoc Ecclesie jejunia præterminanda. Si autem imminet necessitas statim peregrinandi, & magnas diætas facienda, vel etiam multum laborandi, vel propter conservationem vite corporalis, vel propter aliquod necessarium ad vitam spirituales, & simul cum hoc non possunt Ecclesie jejunia observari, non obligatur homo ad jejunandum: quia non videtur fuisse intentio Ecclesie statuendis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, & magis necessarias causas. Videtur tamen in talibus recursum esse ad superiorem dispensationem; nisi forte ubi est ita conclusum: quia ex hoc ipso quod prælati dissimulant, videtur annuere.

Ad quartum dicendum, quod pauperes qui possunt sufficienter habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur propter pauperiam a jejuniis Ecclesie; à quibus tamen excusari videntur illi qui frustatim elemosynas mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.

Ad quintum dicendum, quod illud verbum Domini tripliciter potest exponi. Uno modo secundum Chrysostomum (hom. xxxi. in Matth. à med.) qui dicit, quod *discipuli, qui filii sponsi dicuntur, adhuc imbecillius dispositi erant: unde vestimento veteri comparantur. Et ideo in presentia corporali Christi erant magis fovendi in quadam dulcedine, quam in austeritate jejunii exerceandi.* Et secundum hoc magis convenit ut cum imperfectis, & novitiis in jejuniis dispensetur, quam cum antiquioribus, & perfectis, ut patet in glossa (ord.) super illud Psal. cxxx. *Sicut ablatus est super matrem suam.* Alio modo potest dici secundum Hieronymum (hab. ex Beda Lib. II. comment. in Luc. cap. v. à med.) quod Dominus ibi loquitur de jejuniis veterum observantibus detinendi, quos oportebat gratia novitate perfundi. Tertio modo secundum Augustinum (Lib. II. de consens. Evangelist. cap. xxvii. prope fin.) qui distinguit duplex jejunium. Quorum unum pertinet ad humilitatem tribulationis; & hoc non competit viris perfectis, qui dicuntur *filii sponsi*: unde ubi Lucas dicit: *Non possunt filii sponsi jejunare*, dicit Matth. (cap. ix. 15. *Non possunt filii sponsi lugere.*) Aliud autem est quod pertinet ad gaudium mentis in spiritualia suspensa: & tale jejunium convenit perfectis.

AR-

(a) Ita mss. & edit. passim. Al. ex spirituali causa. (b) Ita idem mss. & edit. Al. desit. in.

ARTICULUS V. 710

Utrum convenienter determinentur tempora jejunii Ecclesie.

IV. dist. xv. quest. III. art. 3. quest. 1.

Ad quantum sic proceditur. Videtur quod inconvenienter determinentur tempora jejunii Ecclesie. Christus enim legitur Math. xv. statim post baptismum jejuniis inchoasse. Sed nos Christum imitari debemus, secundum illud I. Corinth. xv. 16. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Ergo & nos debemus jejuniis peragere statim post Epiphaniam, in qua baptismus Christi celebratur.

2. Præterea. Ceremonialia veteris legis non licet in nova lege observare. Sed jejunia in quibusdam determinatis mensibus pertinent ad solemnitates veteris legis: dicit enim Zachar. vii. 19. *Jejunium quarti, & jejunium quinti, & jejunium septimi, & jejunium decimi erit domui Jude in gaudium, & lætitiā, & in solemnitates præclaras.* Ergo jejunia specialium mensium, quæ dicuntur quatuor temporum, in Ecclesia inconvenienter observantur.

3. Præterea. Secundum Augustinum in Lib. II. de consensu Evangelist. (cap. xxvii. ad fin.) sicut est jejunium afflictionis, ita est jejunium exultationis. Sed maxime exultatio spiritualis imminet fidelibus ex Christi resurrectione. Ergo in tempore (a) Quinquagesimæ, quod Ecclesia solemnizat propter dominicam resurrectionem, in diebus dominicalibus, in quibus memoria resurrectionis agitur, debent aliqua jejunia indicari.

Sed contra est communis Ecclesie consuetudo.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra dictum est (art. 1. & 3. hujus quest.) jejunium ad duo ordinatur, scilicet ad delectionem culpæ, & ad elevationem mentis in superna. Et ideo illis temporibus specialiter fuerunt jejunia indicenda in quibus oportebat homines à peccato purgari, & mentem fidelium elevari in Deum per devotionem: quæ quidem præcipue imminet ante paschalem solemnitatem, in qua & culpæ per baptismum relaxantur, qui solemniter in vigilia Pasche celebratur, quando recolitur do-

minica sepultura, quia per baptismum consecratur Christo in morte, ut dicitur ad Rom. vi. In festo etiam Paschæ oportet maxime mentem hominis per devotionem elevari ad æternitatis gloriam, quam Christus resurgendo inchoavit: & ideo immediate ante solemnitatem paschalem Ecclesia statuit esse jejunandum: & eadem ratione in vigiliis præcipuarum festivitatum, in quibus preparari nos oportet ad festa futura devotè celebranda. Similiter etiam consuetudo Ecclesiastica habet ut in singulis quartis anni sacri ordinis conferantur: (b) ad quorum susceptionem oportet per jejuniis preparari & eos qui ordinant, & illos qui ordinandi sunt, & etiam totum populum, pro cuius utilitate ordinantur. Unde & legitur Lucæ vi. quod Dominus ante discipulorum electionem exivit in montem orare: quod exponens Abrosius (sup. illud, *Et erat pernoctans*) dicit: *Quid te facere convenit, cum vis aliquod officium pietatis adorari, quando Christus missurus Apostolos prius oravit?*

Ratio autem numeri, quantum ad quadragesimale jejunium, est tripliciter secundum Gregorium (hom. xvi. in Evang. à med.) Primo quidem quia virtus Decalogi per libros quatuor sancti Evangelii impletur: denarius enim quater ductus in quadragenarium surgit. Vel quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, per cuius voluptates præcepti dominici contrahimus, quæ per Decalogum sunt accepta. Unde dignum est ut eandem carnem quater decies affligamus. Vel quia ita offerre contendimus Deo decimas dierum: dum enim per trecentos & sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per triginta & sex dies affligimur (qui sunt jejunabiles in sex septimanis Quadragesimæ) quasi anni nostri decimas Deo damus.

Secundum Augustinum autem (Lib. II. de doctr. Christ. cap. xvi. à med.) additur quarta ratio. Nam creator est Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: creaturæ vero invisibili debetur ternarius numerus: diligere enim jubemur Deum ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente; creaturæ vero visibili debetur quaternarius propter calidum, & frigidum, humidum, & siccum. Sic ergo per denarium significantur omnes res: qui si ducatur per quadraternarium, qui completi corpori, per quod administratio geritur, quadragesimum numerum conficit.

Sin-

(a) In margine cod. Alcan. legitur paschali, & mox pro quod in textu habetur in quo. (b) Ita post Garciam edit. omnes quas vidimus. Codices plures, & edit. vetusta: sacri ordinis conferantur: in cuius signum Dominus quatuor millia hominum de septem panibus satiavit, per quos significatur annus (Edit. Rom. significatur anni) novi testamenti, ut Hieronymus dicit bibem. Hæc adjectitia primus putavit Garcia, quem Tzuclogi & Nicolajus secuti sunt.

ARTICULUS VI.

Singula vero jejunia quatuor temporum tribus diebus continentur propter numerum mensium, qui compeit cuilibet tempori; vel propter numerum sacrorum ordinum, qui in his temporibus conferuntur.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus baptismi non indiguit propter seipsum, sed ut nobis baptismum commendaret. Et ideo sibi non competeat ut ante baptismum suum jejunaret, sed post baptismum, ut nos imitaretur ad jejunandum ante nostrum baptismum.

Ad secundum dicendum, quod Ecclesia non servat jejunia quatuor temporum nec omnino eisdem temporibus quibus Judæi, nec etiam propter causas eadem. Illi enim jejunabant in Julio, qui est quartus mensis ab Aprili, quem primum habent, quia tunc Moyse descendens de monte Sinai tabulas legis confregit, (Exod. xxxiii.) & juxta Hieremiam muri primum rupti sunt civitatis (Hierem. xxxix.) In quinto autem mense, qui apud nos vocatur Augustus, quia cum propter exploratores seditio esset orta in populo, jussi sunt in montem non ascendere (Num. xiv.) & in hoc mense à Nabuchodonosor (Hierem. Lii.) & post à Tito templum Hierosolymis est incensum. In septimo vero, qui appellatur October, Godolias occisus est, & reliqua populi dispersata (Hierem. xli.) In decimo vero mense, qui apud nos Januarius dicitur, populus cum Ezechiele in captivitate positus audivit templum esse subversum. (Ezech. iv.)

Ad tertium dicendum, quod jejunium exaltationis ex instinctu Spiritus Sancti procedit, qui est spiritus libertatis; & ideo hoc jejunium sub præcepto cadere non debet. Jejunia ergo quæ præcepto Ecclesie instituntur, sunt magis jejunia afflictionis, quæ non conveniunt in diebus lætitiæ. Propter quod non est jejunium ab Ecclesia institutum in toto paschali tempore, nec etiam in diebus dominicis: in quibus si quis jejunaret contra consuetudinem populi Christiani, quæ, ut Augustinus dicit (epist. xxxvi. al. lxxxvi. parum à princ.) est pro lege habenda, vel etiam ex aliquo errore (sicut Manichei jejunant, quasi necessarium tale jejunium arbitrantur) non esset à peccato immunis. Quamvis ipsum jejunium secundum se consideratum omni tempore sit laudabile, secundum quod Hieronymus dicit ac Lucinum (epist. xxvii. ad fin. & hab. cap. Utinam dist. lxxvi.) Utinam omni tempore jejunare possimus.

Utrum requiratur ad jejunium quod homo tantum semel comedat.

IV. dist. viii. quæst. 1. art. 4. quæst. 2. ad 24 & dist. xv. quæst. 111. art. 4. quæst. 2. & 2.

Ad sextum sic proceditur. Videtur quod non requiratur ad jejunium quod homo tantum semel comedat. Jejunium enim, ut dictum est (art. 2. hujus quæstionis) est actus virtutis abstinentiæ, quæ quidem non minus observat debitam quantitatem cibi, quam comestionis numerum. Non autem taxatur jejunantibus quantitas cibi. Ergo nec numerus comestionis taxari debet.

2. Præterea. Sicut homo nutritur cibo; ita & potu: unde & potus jejunium solvit, propter quod non possumus post potum Eucharistiam accipere. Sed non est prohibitum quin pluries bibamus diversis horis diei. Ergo etiam non debet esse prohibitum jejunantibus quin pluries comedant.

3. Præterea. Electuaria quidam cibi sunt; quæ tamen à multis in diebus jejunii post comestionem sumuntur. Ergo unitas comestionis non est de ratione jejunii.

Sed in contrarium est communis consuetudo populi Christiani.

Respondeo dicendum, quod jejunium ab Ecclesia instituitur ad concupiscentiam refragandam; ita tamen quod natura salvetur. Ad hoc autem sufficere videtur unica comestio, per quam homo potest naturæ satisfacere; & tamen concupiscentiæ aliquid detrahit, diminuendo comestionum vias. Et ideo Ecclesie moderatione statutum est ut semel in die à jejunantibus comedatur.

Ad primum ergo dicendum, quod quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit quod unus majori, alter minori cibo indiget; sed ut plurimum omnes possunt naturæ satisfacere per unicam comestionem.

Ad secundum dicendum, quod duplex est jejunium. Unum quidem naturæ, quod requiritur ad Eucharistiæ sumpcionem: & hoc solvitur per quemlibet potum, etiam aque, post quem etiam non licet Eucharistiam sumere. Est autem aliud jejunium Ecclesie, quod dicitur jejunium jejunantis: & istud non solvitur nisi per ea quæ Ecclesia interdiceret intendit instituendo jejunium. Non autem intendit Ecclesia interdiceret abstinentiam potus; qui magis sumitur ad alterationem corporis, & digestionem ciborum assumpcionem, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat: & ideo licet pluries jejunantibus bibere. Si autem quis

quis immoderate potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere; sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat.

Ad tertium dicendum, quod electuaria etiam aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum. Unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumpcio; nisi forte aliquis in fraudem electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi.

ARTICULUS VII.

Utrum hora nona convenienter taxetur ad comedendum his qui jejunant.

IV. dist. xv. quæst. 111. art. 3. quæst. 3.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod hora nona non convenienter taxetur ad comedendum his qui jejunant. Status enim novi Testamenti est perfectior quam status veteris Testamenti. Sed in veteri Testamento jejunabant usque ad vespertam: dicitur enim Levit. xxiii. 32. Sabbatum est à vespere usque ad vespertam. Et postea sequitur: A vespere usque ad vespertam celebrabitis sabbata vestra. Ergo multo magis in novo Testamento jejunium debet iudici usque ad vespertam.

2. Præterea. Jejunium ab Ecclesia institutum omnibus imponitur. Sed non omnes possunt de criminate cognoscere horam nonam. Ergo videtur quod taxatio horæ nonæ non debeat cadere sub statuto jejunii.

3. Præterea. Jejunium est actus virtutis abstinentiæ, ut supra dictum est (artic. 2. hujus quæst.) Sed virtus moralis non eodem modo accipit medium quoad omnes: quia quod est multum uni, est parum alteri, ut dicitur in II. Ethic. (cap. vi.) Ergo non debet jejunantibus taxari hora nona.

Sed contra est quod Concilium Chalcedonense dicit: (hab. in quodam Concilio capitulari in eadem Auctoritate loci, & ten. can. xxxix. to. 9. Concil. Vid. cap. Solent, de Consecrat. dist. 1.) In Quædam ægissima nullatenus credendi sunt jejunare qui ante mentis veteris quam vesperitium celebrant officium: quod quædam ægissima tempore post nonam dicitur. Ergo usque ad nonam est jejunandum.

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est (art. 1. & 5. hujus quæst.) jejunium ordinatur ad deletionem, & cohibitionem culpæ. Unde oportet quod aliquid addat supra communem consuetudinem; ita tamen quod per hoc non multum natura gravetur. Est autem debita, & communis consuetudo comedendi hominis circa ho-

ram sextam: tum quia jam videtur esse completa digestio nocturno tempore naturali calore interius revocato propter frigus noctis circumstantis, & diffusio humoris per membra, cooperante ad hoc calore diei usque ad summum Solis ascensum: tum etiam quia tunc præcipue natura corporis humani indiget juvari contra exteriorum aeris calorem, ne humores interius adurantur. Et ideo ut jejunans aliquam afflictionem sentiat proculpæ satisfactione, convenienter hora comedendi taxatur jejunantibus circa horam nonam.

Convenit etiam ista hora mysterio passionis Christi, quæ completa fuit hora nona, quando inclinatio capite, traditio spiritum. Jejunantes enim, dum suam carnem affligunt, passioni Christi conformantur, secundum illud ad Galat. vi. 24. Qui autem Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitio, & concupiscentiis.

Ad primum ergo dicendum, quod status veteris Testamenti comparatur nocti; status vero novi Testamenti, diei, secundum illud ad Rom. xiiii. 12. Nos processit, dies autem appropinquavit. Et ideo in veteri Testamento jejunabant usque ad noctem, non autem in novo Testamento.

Ad secundum dicendum, quod ad jejunium requiritur hora determinata, non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam estimationem: sufficit enim quod sit circa horam nonam: & hoc de facili quilibet cognoscere potest.

Ad tertium dicendum, quod modicum augmentum, vel etiam modicus defectus non multum potest nocere. Non est autem augmentum temporis spatium quod est ab hora sexta, in qua communiter homines comedere consueverunt, usque ad horam nonam, quæ jejunantibus determinatur. Et ideo talis taxatio temporis non multum potest alicui nocere, cujuscumque conditionis existat; vel si forte propter infirmitatem, vel ætatem, aut aliquid hujusmodi, hoc eis in magnum gravamen deberet, esset cum eis in jejunio dispensandum, vel ut aliquantulum provenirent horam.

ARTICULUS VIII.

Utrum convenienter jejuniatur indicatur ab-
stinentia à carnibus, & ovis, & lacticiis.

IV. dist. xv. quæst. 111. art. 4. quæst. 2.

Ad octavum sic proceditur. Videtur quod
inconvenienter jejuniatur indicatur
abstinentia à carnibus, ovis, & lacticiis.
Dicitur enim supra (art. 6. huj. quæst.)
quod jejunium est institutum ad concupiscentiam
carnis refræandas. Sed magis concupiscentiam
provocat potus vini quam esus
carnium, secundum illud Proverb. xx. 1.
Luxuriosa res est vinum: & ad Ephes. v. 18.
Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Cum
ergo non interdicitur jejuniaturibus esus
carnium, videtur quod non debeat interdici esus
carnium.

2. Præterea. Aliqui pisces ita delectabi-
liter comeduntur, sicut quadam animalium
carnes. Sed concupiscentia est appetitus de-
lectabilis, ut supra habitum est (1. 2. quæst.
xxx. art. 1.) Ergo in jejuniis, quod est insti-
tutum ad concupiscentiam refræandam, sic
ut non interdicitur esus piscium, ita non de-
bet interdici esus carnium.

3. Præterea. In quibusdam jejuniis
dicitur aliqui ovis, & caseo utuntur. Ergo
pari ratione in jejuniis quadragesimali talibus
homo uti potest.

Sed contra est communis fidelium con-
suetudo.

Respondeo dicendum, quod, sicut supra
dictum est (art. 6. huj. quæst.) jejunium ab
Ecclesia est institutum ad repræmendas concupiscentias
carnis, quæ quidem sunt delectabilium
secundum tactum, quæ consistunt
in cibis, & venereis. Et ideo illos cibos Ec-
clesia jejuniaturibus interdixit qui & in com-
edendo maximam habent delectationem, &
iterum maximam hominem ad venerea pro-
vocant. Hujusmodi autem sunt carnes anima-
lium in terra (a) quiescentium, & respiran-
tium, & quæ ab eis procedunt, sicut lacti-
cinia ex gressibilibus, & ova ex avibus. Quia
enim hujusmodi magis conformantur huma-

no corpori, plus delectant, & magis con-
ferunt ad humani corporis nutrimentum: &
sic ex eorum comestione plus superfluit, ut
vertatur in materiam feminis, cujus multi-
plicatio est maximum incitamentum luxurie.
Et ideo ab his cibis præcipue jejuniaturibus
Ecclesia statuit esse abstinentium.

Ad primum ergo dicendum, quod ad ac-
tum generationis tria concurrunt; scilicet cal-
or, spiritus, & humor. Ad calorem qui-
dem maxime cooperatur vinum, & alia ca-
lescentia corpus; ad spiritum autem viden-
tur cooperari iustitativa; sed ad humorem ma-
ximè cooperatur usus carnium, ex quibus
multum de alimento generatur. Alterio autem
caloris, & multiplicatio spiritum cito
transit; sed substantia humoris diu manet. Et
ideo magis interdicitur jejuniaturibus usus car-
nium quam vini, vel leguminum, quæ sunt
iustitativa.

Ad secundum dicendum, quod Ecclē-
sia jejunium intrinsecus intendit ad id quod
communis accedit. Esus autem carnium est
magis delectabilis communiter quam esus pis-
cium; quamvis in quibusdam aliter se habeat.
Et ideo Ecclesia magis jejuniaturibus prohibuit
esum carnium quam esum piscium.

Ad tertium dicendum, quod ova, &
lacticia jejuniaturibus interdiciuntur, inquan-
tum sunt ex animalibus exorta carnes habenti-
bus. Unde principaliter interdiciuntur carnes
quam ova, vel lacticia. Similiter etiam in-
ter alia jejunia solemnius est quadragesima-
le jejunium: tum quia observatur ad imita-
tionem Christi: tum etiam quia per ipsum
disponimus ad redemptionis nostre mysteria
devote celebranda. Et ideo in quolibet jeju-
nio interdicitur esus carnium; in jejuniis au-
tem quadragesimali interdiciuntur universali-
ter etiam ova, & lacticia: circa quorum
abstinentiam in aliis jejuniis diversæ consue-
tudines existunt apud diversos; quas quisque
observare debet secundum morem eorum in-
ter quos conservatur. Unde Hieronymus dicit
(epist. xxv. 11. ad Lucinium sub fin.) de je-
juniis loquens: *Unaqueque provincia abunde
in suo sensu, & præcepta majorum leges aposto-
licas arbitretur.* (b)

QUAEST.

(a) Ita cum cod. Alcan. aliique Theologi & Nicolaus. Al. nascientium.

(b) Insuper S. Thomas; hæc vero in textu addit Nicolaus. Unde iterum Gregorius ut supra
inter innumera vicia contra quæ oppositæ virtutes pugnant, gulam ponit, & mentem ipsam dicit
sub gravi confusione dedecore à spirituali certamine congressione repelli, quando infirma in carnis pre-
lio gula gladius confessa superatur: quia cum se perferri parvis respicit, confingere cum majoribus
erubescit. Et in Libro de cura pastoralis part. 111. adu. 20. Unde, inquit, hosti calido, qui pri-
mo hominis sensum in concupiscentia poni aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, divina voce dicitur:
Pectore ac ventre repes (Gen. 3.) ac si aperte diceretur: Cogitatione ac ingluvie super humana cor-
da dominaveris, &c. Et Basilus in serm. de abdicatione rerum: Cave ne te adversarius simili atque
primum parentem peccato circumveniat, & quam primum de paradiso deliciarum expellat: nam quæ
callida est objectione ita malitiose illum spolavit, nihil est quod jam veretur ne te per hoc præsentissi-
mum continentium inficiat.

QUAESTIO CXLVIII.

De gula, in sex articulis divisa.

Deinde considerandum est de gula: &
circa hoc queruntur sex.

- Primo, utrum gula sit peccatum.
- Secundo, utrum sit peccatum mortale.
- Tertio, utrum sit maximum peccatum.
- Quarto, de speciebus ejus.
- Quinto, utrum sit vitium capitale.
- Sexto, de filiabus ejus.

ARTICULUS I.

Utrum gula sit peccatum.

Mal. quæst. XIV. art. 1. 2. & 3.

Ad primum sic proceditur. Videtur quod
gula non sit peccatum. Dicit enim Do-
minus Matth. xv. 11. *Quod intrat in os, non
cogitatur in hominem.* Sed gula est circa cibos,
qui intrant in hominem. Cum ergo omne pec-
catum cogitatur in hominem, videtur quod
gula non sit peccatum.

2. Præterea. Nullus peccat in eo quod vi-
tare non potest. Sed gula consistit in im-
moderantia cibi, quam non potest homo vi-
tare: dicit enim Gregorius XXX. Moral. (cap.
S. Tb. Om. Tom. II.)

(a) Nicolaus in textu addit quæ sequuntur. Hinc licet olim in jejuniis non à carnibus tantum,
sed & à vino abstinere (præsertim vero in jejuniis Quadragesimali) Christiani solerent; facilius
tamen subinde circa vini abstinentiam quam carnium generaliter dispensatum est, ut jam uti li-
ceat vino, sed non carnibus, quarum usus licitus communiter omnibus nunquam fuit. Quod
autem simul cum carnium abstinentia conjungeretur olim abstinentia vini, patet ex verbis Au-
gustini dicentis Dominica 1. Quadragesimæ serm. 1. *Qui abstinent nos à carnibus, quibus (aliis
diebus) uti licet; qui nos abstinent à vino, quo moderate uti licet; qui vitamus quæ aliquando li-
cent; in primis fugiamus peccata, quæ nunquam licent; & serm. 2. Cessat vitæ, vel carnes, ut
qui nobis viximus toto anno, solum per paucos dies vitamus & Domino.* Item ex verbis Hieronymi
super x. cap. Danielis; ubi dicitur panem desiderabilem non comedisse, nec introisse vi-
num aut carnem in os ejus: *Hoc exemplum docentur tempore jejuniis à cibis delicatioribus abstinere
(quod ego nunc puto dici panem desiderabilem) nec carnem comedere; nec vinum bibere.* Item ex
verbis Basilii hom. 1. de jejun. (quo jejunium Quadragesimæ intelligit.) *Carnem non edis, &
à vino abstinere.* &c. Item ex verbis Theophili Alexandrini epist. 3. *pachali universi Ægypti
Episcopis directa: Nequaquam in diebus Quadragesimæ vini poculum suscipimus, nec in præcæta
belli, ubi necessarius labor, & sudor est, edulis carnium delectemur. Qui autem legum præcepta custo-
diant, ignorant vinum in jejuniis, esum carnium repellant. Ac licet addat socios Danielis in Ba-
bylone abstinentes exemplum nobis fortitudinis reliquisse, ut omnem deinceps decant
jejuniarum tempore à carnibus, & vino abstinendum; abstinentia tamen carnium magis vicia est Ec-
clesiæ necessaria quam abstinentia vini ad jejuniis rationem; & sic in vino, non in carnibus
dispensavit. Unde abstinentia vini modo in jejuniis consilium tantum est, non præcepti, sicut
& abstinentia piscium; à quibus tamen olim abstinuisse Christiani in jejuniis illo Chryostomus
indicat hom. 3. ad populum; & similiter asidi cibi, hoc est panis, & aqua, quibus ultima
hebdomada Quadragesimæ ante Paschæ diem utebantur. Cum sola ergo abstinentia generat
carnium in præcepto remansit ut à lacte, caseo, & ab ovis in jejuniis Quadragesimæ communiter
debeat abstinere, quia nimirum par est ut qui per illas dies à carnibus animalium abstinet, ab om-
nibus etiam quæ semel in carne trahunt originem, jejunemus, sicut in IV. Part. Decretorum
cap. xxx. loquitur Ivo Cartonensis. Quamvis nunc satis communiter in aliquibus locis prop-
ter necessitatem in lactis, & casei abstinentia dispensetur.*

xiv. ante med.) *Quis pro esuri voluptas neces-
saria miseretur; quid necessitas petat, & quid
voluptas suppetat ignoratur: & Augustinus dicit
in X. Confess. (cap. xxxi. sub fin.) Quis est,
Domine, qui aliquantulum extra metas necessitatis
cibum non sumit? Ergo gula non est pecca-
tum.*

3. Præterea. In quolibet genere peccati
primus motus est peccatum. Sed primus motus
sumendi cibum non est peccatum: alioquin
fames, & sitis essent peccata. Ergo gula non
est peccatum.

Sed contra est quod Gregorius XXX.
Moral. (cap. xliii. aliquid à princ.) dicit,
quod ad confictum spiritualis agens non assur-
gitur, nisi prius intra nosmetipsos hostis posturus,
gule videlicet appetitus, edomatur. Sed interius
hostis hominis est peccatum. Ergo gula est
peccatum.

Respondeo dicendum, quod gula non no-
minat quemlibet appetitum edendi, & bi-
bendi, sed inordinatum. Dicitur autem appetitus inordinatus ex eo
quod recedit ab ordine rationis, in quo bo-
num virtutis moralis consistit. Ex hoc autem
dicitur aliquid esse peccatum quod virtuti con-
trariatur. Unde manifestum est quod gula est
peccatum. (a)

Ad primum ergo dicendum, quod id quod
intrat in hominem per modum cibi, secun-
dum

(a) Nicolaus in textu addit quæ sequuntur. Hinc licet olim in jejuniis non à carnibus tantum,
sed & à vino abstinere (præsertim vero in jejuniis Quadragesimali) Christiani solerent; facilius
tamen subinde circa vini abstinentiam quam carnium generaliter dispensatum est, ut jam uti li-
ceat vino, sed non carnibus, quarum usus licitus communiter omnibus nunquam fuit. Quod
autem simul cum carnium abstinentia conjungeretur olim abstinentia vini, patet ex verbis Au-
gustini dicentis Dominica 1. Quadragesimæ serm. 1. *Qui abstinent nos à carnibus, quibus (aliis
diebus) uti licet; qui nos abstinent à vino, quo moderate uti licet; qui vitamus quæ aliquando li-
cent; in primis fugiamus peccata, quæ nunquam licent; & serm. 2. Cessat vitæ, vel carnes, ut
qui nobis viximus toto anno, solum per paucos dies vitamus & Domino.* Item ex verbis Hieronymi
super x. cap. Danielis; ubi dicitur panem desiderabilem non comedisse, nec introisse vi-
num aut carnem in os ejus: *Hoc exemplum docentur tempore jejuniis à cibis delicatioribus abstinere
(quod ego nunc puto dici panem desiderabilem) nec carnem comedere; nec vinum bibere.* Item ex
verbis Basilii hom. 1. de jejun. (quo jejunium Quadragesimæ intelligit.) *Carnem non edis, &
à vino abstinere.* &c. Item ex verbis Theophili Alexandrini epist. 3. *pachali universi Ægypti
Episcopis directa: Nequaquam in diebus Quadragesimæ vini poculum suscipimus, nec in præcæta
belli, ubi necessarius labor, & sudor est, edulis carnium delectemur. Qui autem legum præcepta custo-
diant, ignorant vinum in jejuniis, esum carnium repellant. Ac licet addat socios Danielis in Ba-
bylone abstinentes exemplum nobis fortitudinis reliquisse, ut omnem deinceps decant
jejuniarum tempore à carnibus, & vino abstinendum; abstinentia tamen carnium magis vicia est Ec-
clesiæ necessaria quam abstinentia vini ad jejuniis rationem; & sic in vino, non in carnibus
dispensavit. Unde abstinentia vini modo in jejuniis consilium tantum est, non præcepti, sicut
& abstinentia piscium; à quibus tamen olim abstinuisse Christiani in jejuniis illo Chryostomus
indicat hom. 3. ad populum; & similiter asidi cibi, hoc est panis, & aqua, quibus ultima
hebdomada Quadragesimæ ante Paschæ diem utebantur. Cum sola ergo abstinentia generat
carnium in præcepto remansit ut à lacte, caseo, & ab ovis in jejuniis Quadragesimæ communiter
debeat abstinere, quia nimirum par est ut qui per illas dies à carnibus animalium abstinet, ab om-
nibus etiam quæ semel in carne trahunt originem, jejunemus, sicut in IV. Part. Decretorum
cap. xxx. loquitur Ivo Cartonensis. Quamvis nunc satis communiter in aliquibus locis prop-
ter necessitatem in lactis, & casei abstinentia dispensetur.*